

AD  
BENIVOLE AUDIENDAM ORATIONEM  
MEMORIÆ  
PERILLUSTRIS QVONDAM ET  
EXCELLENTISSIMI VIRI  
DOMINI  
CASPARIS CHRISTIANI  
SELIGMANNI

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI SARMATARUM REGIS  
ET ELECTORIS SAXONIÆ

A CONSILIIS SANCTIORIBUS  
CONSULIS ITEM ZITTAVIENSIS MERITISSIMI  
GYMNASIARCHI GRAVISSIMI

SACRAM

IN PRIMO GYMNASII ACROATERIO

AD D. XVI. FEBRUARI

A. Æ. C. MDCCLI

HORA AB NONA MATUTINA AUDITA

HABENDAM

SPLENDIDISSIMOS CURIÆ CIVITATISQVE PROCERES

VENERANDOS VERBI DIVINI PRÆCONES

CIVESQVE LITTERATOS

ATQVE OMNES ADEO PATRONOS FAUTORES AMICOS

EA QVA PAR EST SUBMISSIONE OBSEQVIO AMORE

INVITAT

JOHANNES DAVID STRAUPITIUS

GYMNASII SUBRECTOR



*De Henr. Petrus*



**P**rin cipum aulas, five curias, & qvi celebraverunt olim, & in illis degunt hodie, aulici vulgo propterea nobis, curialesqve superiore inprimis ævo dicti, omnium mortalium nonnullis visi ac habiti sunt miserimi, infelicissimi, ita quidem, ut sub finem fere seculi sexti decimi Henricus Petreus, al. Petreus Herdesiæ, Calenbergici Principatus oppidulo (*Herdesen s. Hardesen*), natus & ab eadem hac patria Herdesianus cognominatus, Philologus & Jctus illius ætatis celebratissimus, Gymnasii primum Francofurtensis Rector, deinde Pædagogiarcha Goettingensis, & Henrici tandem Julii, Ducis Guelpherbytani ab ecclesiasticis aulaqve consiliis, varias variorum de aulica vita & huic opposita vita privata sententias, a diversis, cum veteribus, tum recentioribus auctoribus luculenter descriptas, atqve in enchiridion collectas recensere haud dubitaverit, easqve Francofurti ad Mœnum a. 1578. imprimendas curaverit. Hoc nimirum fasciculo continentur Æneæ Sylvii, postea Pii II. Pontif. Max. *de miseris Curialium epistola*; Ulrici Hutteni *dialogus de vita aulica*; Luciani Samosatensis *declamatio, de iis, qvi mercede conducti in aulis seu divitum familiis vivunt*; Erasmi Roterodami *præcepta aulica*; Artaxerxis Regis *epistola*, & Polybii, Platonis, Ciceronis atqve Xenophontis *de aulicis sententia*: Conradi item Heresbachii, Simonisqve Schardii, Juris consultorum *admonitiones*; diversorum porro, tum veterum, tum recentiorum poetarum *de aulica*, & huic opposita *vita privata carmina*; Philippi deinceps Cominæi, viri nobilis, & Carolo Burgundiæ duci, atqve Ludovico XI, Galliarum Regi olim familiaris *præceptio aulica*; Petri Martyris, Johannis Wolffii, J. Brentii, W olfg. Musculi, J. Novillei, Theologorum; item J. Ludovici Vivis, Cœlii Secundi Carionis, Philippi Beroaldi, Christoph. Corneri, Philosophorum, *sententia de aulicis*; Antonii Fuchs, nobilis & eruditi viri, *Carmen gravissimum de aule molestiis*. Titi Lucretii & Lazari Bonamici, *carmina*; Joan. Fichardi, J. C. Francofortensis, & Henrici Husani, Cancellarii Megapolitani, *votiva carmina*; Antonii tandem de Gvevara, episcopi Mondeventani, & olim Imperatoris Caroli V. historici, *liber elegantissimus de vita rustica præ aulica vita commodis*, primum quidem lingua Castellana ad Regem olim Portugaliæ scriptus Hispanice, atqve anno deinceps 1542. per Antonium Alegrum in gratiam reverendissimi D. Domini Guilhelmi a Prato, tunc temporis episcopi Claromontani in linguam Gallicam translatus, postremum vero ex Gallico in Latinum quoqve sermonem conversus ab Hermanno Germbergio, Westphalo, Quod Philosophiæ pariter aulicæ, atqve calamitatis & miseriæ aulicorum enchiridion, haud ubivis obvium, patria Zittaviensium bibliotheca in penu sua libraria asservari sibi gaudet. Horum modo commemoratorum de vita aulica, five libellorum & schediasmatum, five commentariorum auctores clarissimi, doctissimi, tametsi omnem vitæ aulicæ aulicorumqve miseriæ culpam, mox in aulas ipsas, mox in imperiorum & rerum publicarum moderatores transferre sustinent, mihi tamen pro levidenti meo judicio, & nisi me fallunt omnia, toto isti cœlo errare vi-



dentur, quum potius omnis aulicæ calamitatis origo in ipsis curialibus sit  
anquirenda, reperiunda; utpote quorum plerique, quod virtutibus, virum  
quæ decent atque ornant, gravioribus aulæ muneribus aut adhibitum, aut ad-  
hibendum aliquando, tantum non penitus sunt destituti, contra ea deterri-  
mis foedissimisque ambitionis, avaritiæ, libidinum, jactantiæ impietatisque  
vitiis atque affectibus, pravam depravatæ voluntatis propensionem qui  
sequuntur, dediti ac velut mancipati fuerunt, haud aliam ob causam for-  
tassis, vel ad summum aulicæ dignitatis fastigium paullo ante sublatis, hoc  
gravioere lapsu in profundissimum infelicitatis barathrum præcipitati cor-  
ruerunt. Quandoquidem enim prudentiæ nunquam bene cum affecti-  
bus convenit, cum prudentia civili autem e diametro pugnant, jam pri-  
dem prudentiores judicant, ad vitam aulicam civiliumque rerum tra-  
ctationem eos plane ineptos esse, qui affectibus suis nec imperare, nec  
iis limites terminosque accurate statuere didicerunt. Quotquot autem,  
vel ex ultima antiquitate repetendi, propter indolem virtutis, jam in pu-  
eris, aut vixdum adolescentiæ annos ingressis, fulgentem, quaque omnes  
vicerunt alios, curam, vigilantiam, patientiam, calliditatem & celeritatem  
ingenii, per adolescentuli partim, partim ætatis corroboratæ adultioresque,  
humili licet, sed honesto tamen domestico genere locoque geniti, ad amici-  
tiam accesserunt, aut, quod majus sane, in intimam pervenerunt familiarita-  
tem invictissimorum Cæsarum, Regum potentissimorum, & serenissimorum  
Principum, ita scilicet, ut eos illi modo ad manus haberent Scribarum  
loco: nostra ætate nostrosque loquendi more, Cancellarium regni,  
(Reichs-Cansler.) nomine in aulis qui veniunt, in minoribus vero re-  
bus publicis & civitatibus Syndici atque Poligraphi audiunt: omnium-  
que consiliorum, quod necesse est, participes redderent, modo iidem ad  
sublimiorem aulici splendoris gradum ac summum pæne fastigium evecti,  
iisdem in consilio semper adesse juberentur, huncque: primum & pal-  
marium quod ego puto: seu amicitiae locum, seu dignitatis atque hono-  
ris gradum ad ultimum usque vitæ halitum tenuerunt; omnium omni-  
no hominum beatissimos, me quidem arbitro, neque id temere, agnosco,  
dico, pronuncio. His enim, quancquam inter aulicos viventibus, haud  
raro generosa stirps defuit, aut alienæ civitatis erant, si tantummodo præ-  
ter supra memoratas virtutes, non fucata, in Deum pietate, erga princi-  
pem reverentia, fideque & industria cognita, adversum subjectos autem  
justitiæ laude, ac omnibus pro virili interveniendi aut commodandi prom-  
titudine studioque fuerint præditi, nihil quidquam felicitatis unquam de-  
traxerunt, aut detracturæ sunt malevolorum in curiis Principum passim  
offendendorum invidia, persecutiones, insidiosæ artes & machinationes;  
quod præ ceteris quidem tam male habet paullo iniquiores aulicæ vitæ,  
utut innoxios, censores & ofores, ac infensissimos aulicorum hostes, odio  
propemodum Vatiniانو prosequentes curiales. Quod si rerum exem-  
plis hanc meam assertionem illustriorem reddi quis postulet, citius me  
(ingenue profiteor) tempus et charta deficient, quam dicendi scribendive  
defutura sit materia, si vel maxime uberrimum antiquæ historiæ & exem-



PKT n 8734

X 3456174

plorum penum leviter saltem perstringere, nedum excutere velim. Verum enim vero, rerum ubi adsunt testimonia, eaque domestica, non opus, nec causæ quid subesse video, cur eadem a longinqvo arcessamus, aut ab exteris mutuemur? Almæ enim patriæ, Zittaviæ, tam felici esse contigit, quæ fecunda mater filiorum ex sese oriundorum non contemnendo numero, vicesimum videlicet excedente, existens allegare possit, qui vel *Theologi*, Regum ac Principum a concionibus, confessionibus & consiliis ecclesiasticis; vel *Juris consulti* ab aulæ, commissionum, quas dicimus, rationum, Belli, commerciorum & sanctioribus consiliis fuerunt; vel denique *Medici* Archiattrorum & Consiliariorum officio tituloque superbierunt, quorum omnium & singulorum nomina honoresque, quos gesserant olim, legere est in *Analect. Fast. Zittav. P. III. Cap VII. § 2, 3, 4. pag. us. sqq.* Hos inter quum haud postremum occupet locum Vir quondam Perillustris & Excellentissimus, CASPAR CHRISTIANUS SELIGMANNUS, Potentissimi Sarmatarum Regis atque Serenissimi Electoris Saxoniae, *FRIDERICI AUGUSTI II.*, vere augusti, ab aulæ primum, commissionum & commerciorum consiliis, ad Augustissimum deinde Imperatorem Leopoldum M. per quinquennium ferme Orator, tandemque a sanctioribus consiliis, Consul item, Syndicus & Gymnasiarchus Zittaviensis, cujus virtuti non par tantum data fuit fortuna, sed & quem amicitiae dicam, an gratiae regiae adeptus est gradum, ad extrema usque vitæ tempora constantissime tenuit. Rarum quid uti hoc, ob fluxæ & in una tantum inconstantia constantis fortunæ aulicæ varietatem & vicissitudinem quam plurimis, nec sine ratione, videri potest: ita neque a Perillustris & Excellentissimi SELIGMANNI virtutibus, in fulgentissimo aulicæ dignitatis coelo sidus, sin minus primi, secundi certe ordinis seu magnitudinis, qui micuit effulsitque, neque a meo declamatori officio alienum puto, in anniversaria tanti hujus Viri, supra nostras Scholæ laudes positi, humili licet & Scholis tantum accommodato dicendi genere de *rara admodum aulicorum felicitate in exemplo SELIGMANNIANO luculenter conspicua* verba facere, *admirandamque B. V. fortunam aulicam*, verum rudi saltem penicillo adumbratam mirari. Quibus sive solemnibus Scholasticis, sive inferiis, iisque Christianis, ubi dicta & consecrata est feria hujus hebdomadis secunda, vulgo quem appellant *diem Martis*, ut *Curia Proceres* Magnifici, Excellentissimi, Venerabilis ordo Symmystrarum, omnesque Seligmannianarum virtutum & meritorum in patriam civitatem, vel spectatores aliquando, vel post facta quoque ultima admiratores, Litterati Cives, benivolo audiendi studio frequentes adesse haud graventur, humillime obnixque rogo, obsecro. P. P. Dominica Sexagesimæ. ∞ IO CC LI.

ZITTAVIÆ

Typis JOHANNIS GOTTLIBII NICOLAI.

1018

100







FK. 126  
37.

II n  
8734

AD  
BENIVOLE AUDIENDAM ORATIONEM  
MEMORIÆ  
PERILLUSTRIS QVONDAM ET  
EXCELLENTISSIMI VIRI  
DOMINI  
CASPARIS CHRISTIANI  
LIGMANNI

OTENTISSIMI SARMATARUM REGIS  
ELECTORIS SAXONIÆ  
ILLIUS SANCTIORIBUS  
M ZITTAVIENSIS MERITISSIMI  
ASTARCHI GRAVISSIMI  
SACRAM  
MO GYMNASII ACROATERIO  
D. XVI. FEBRUARII  
A. Æ. C. MDCCLI  
B NONA MATUTINA AUDITA  
HABENDAM  
CURIÆ CIVITATISQVE PROCERES  
DOS VERBI DIVINI PRÆCONES  
CIVESQVE LITTERATOS  
DEO PATRONOS FAUTORES AMICOS  
EST SUBMISSIONE OBSEQVIO AMORE  
INVITAT  
S DAVID STRAUPITIUS  
GYMNASII SUBRECTOR



*De Henr. Petrus*